



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum**

**Reutlinger, Ignaz**

**Augustæ Vindelicorum, 1716**

**VD18 10508716**

Casus Secundus Promissionis indirectè tantùm voluntariæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40059**

## CASUS SECUNDUS

### *Promissionis indirectè tantùm voluntaria.*

Nabor longo tempore Sponsam sibi optavit Rosellam nobilem Virginem, animi, ut ex multis advertere potuit, à se minimè alieni; varia tamen obstacula hæcenus absterruerunt à celebrandis Sponsalibus, unde audentior futurus, prout fore indubitato præviderat, hausto liberaliùs mero, ex hac intentione se inebriat, ut verba Sponsalitia proferret, atque ita reipsa etiam contrahit Sponsalia.

Q. An hæc Sponsalia sint sufficienter deliberata, & valida?

## SYNOPSIS.

1. Proponuntur argumenta pro parte affirmativa, quòd sufficiat ad Sponsalia voluntas indirecta.
2. Sed statuitur, & probatur contrarium.
3. Idq; ostenditur in varijs Exemplis.
4. Solvuntur Argumenta opposita.

1. **S**se valida ista Sponsalia videntur consequi ex Casu præcedente; ea enim requiritur, & sufficit deliberatio ad Sponsalia, quæ sufficit ad peccatum mortale; at verò ad peccatum mortale sufficit, modò illud sit indirectè voluntarium, & deliberatum, videlicet in causa: ergo ad contrahenda Sponsalia sufficiet similis voluntarietas, & deliberatio indirecta, & in causa. *Major est*

est conclusio casus præcedentis. Minor patet; quia verè committit homicidium in ebrietate, qui ex deliberatione, & intentione hominem occidendi se inebriat, quia nempe prævidet, hoc eventurum in ebrietate: eligit enim ipsam ebrietatem tanquam medium ad istum finem obtinendum, nimirum ad homicidium: ergo in ebrietate directè volita vult indirectè, & in causa ipsum homicidium: sicut igitur huic verè imputatur homicidium, ipsique est verè voluntarium, quia sponte ebrietatem elegit, in qua prævidit, homicidium esse secuturum, ita dici debent voluntaria, & deliberata esse Sponsalia illi, qui ea prævidit à se contractum iri, si fuerit ebrius, & tamen ebrietatem voluit, & procuravit.

Probatur ulterius, quia in Casu ponitur, eum antecederet desiderasse Sponsalia cum Rosella, quam voluntatem quia nunquam retractavit, sed potius ad finem hunc obtinendum se se inebriavit, sufficere utique voluntas ista habitualiter permanens ad contrahenda Sponsalia, sicut etiam ad suscipiendum Baptismum sufficit intentio præterita non amplius retractata, atque ideo habitualiter permanens, etiam si baptizandus postmodum incidat in amentiam, vel ebrietatem.

2. Dicendum tamen. Verba Sponsaliorum in ebrietate dicta, etiam si ante ebrietatem voluntas

eorum præcesserit, & prævisum fuerit, hoc in ebrietate esse secuturum, imò quamvis eapropter, & ex eorum deliberatione, & intentione ebrietas electa fuerit ut medium prævisum ad verba Sponsalicia proferenda, si postmodum in ebrietate ea proferantur, minimè sufficiunt ad contrahenda Sponsalia. Ita Sanch. *L. 1. disp. 8. de Matr. n. 20.* Perez *disp. 1. de Matr. Sect. 5. n. 8.* Petrus Ledesma *de Matr. q. 58. art. 3. dub. 1.* Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 2. n. 5.* Valq. *disp. 5. de Matr. c. 3.* Coninck, Dicastillo &c.

Probatur, quia contractus, qui verbis, aut signis perficitur, (qualis est contractus Sponsalitiis) ut sit verus contractus, qui possit parere obligationem, debet esse actus humanus: atqui actio facta tempore ebrietatis, non est humana, etiam si procedat ex antecedente deliberatione, & voluntate, quam quis habuit ante ebrietatem, contrahendi Sponsalia, postquam inebriatus fuerit: ergo verus contractus per talia verba non perficitur, qui possit inducere obligationem. *Min. Probo.* Actio eo tempore posita, nempe in ebrietate, non procedit ab homine constituto in statu humano: ergo non est humana actio, nam ex eo, quòd ante ebrietatem præcesserit libera voluntas, & intentio hoc faciendi in ebrietate, actio in ebrietate deinde posita humana dici nequit, quia non conjungitur amplius humano modo

modo cum voluntate præcedente, priorque voluntas libera non perseverat tempore ebrietatis in illa actione externa, nam desinit, quamprimùm homo statum humanum amittit, uti contingit etiam, quando homo moritur, vel dormit: ergo talis actio humana non est, consequenter obligationem non inducit.

3. Confirmo ulterius dicta, & probo per exempla: Etiam si quis habuisset animum dicendi convitium in aliquem, si inebriaretur, & in ipsa deinde ebrietate mille contra ipsum convitia proferat, non censetur propriè injuriam facere, aut convitari, nec potest alter de hoc conqueri, aut actionem contra sic convitiantem instituire, utpote cujus perversa intentio in foro externo non attenditur, quod autem agit, humano modo non facit; pari modo non censetur mentiri, aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppositum ejus, quod promiserat;

Item quantumvis aliquis Sacerdos, sciens se, quando est ebrius, solere obvium panem consecrare, ea intentione se inebriaret, & certo loco panem poneret, ut ebrius eum consecraret, hic certè nihil efficeret, si postea omnino ebrius verba consecrationis supra hunc panem proferret, quia hæc actio tantùm esset voluntaria in sua causa, non autem in se, nisi per modum objecti, nec propriè dicenda esset voluntaria, sed volita: ergo per consequens non esset verè

humana, quia ad hoc requiritur, ut actio sit in se voluntaria per modum actûs eliciti, sive ut eliciatur à potentia hîc, & nunc humano modo agente, qualis non est voluntas omnino ebrij, quia hic agit potiùs brutali modo, quàm humano. Ita Coninck q. 64. de Sacramentis art. 8. dub 2. n. 74. Et certè si potest actio humana dici, quæ solùm est voluntaria in causa, morsus, quem tibi infigit canis meus, dici poterit humana actio, quia potest esse mihi voluntarius, & à me volitus per modum objecti, si ego ipsum instigem, ut te mordeat, quod utique dici non debet.

Denique contractus Sponsalitiûs cùm sit contractus humanus, nequit perfici, nisi per locutionem, vel aliam actionem humanam, per quam humano more significetur, & exprimat præsens mens loquentis, id est, quid tunc de rebus sentiat, de quibus modò loquitur, ad hoc enim verba, & alia ejusmodi signa, in contractibus usurpari solita, sunt instituta: atqui verba, quæ profert ebrius, non sunt apta ad exprimendam humanam mentem, quam tunc habeat, quia tunc nullam habet in eo statu: ergo verba prolata ab ebrio non sunt humana, proinde, etsi sint Sponsalicia, non inducunt obligationem.

4. Dissolvenda nunc sunt argumenta in contrarium. Ad illud, quod posteriore loco allatum est, Respondeo: etiam si voluntas habita ante ebrie-

ebrietatem habitualiter duret, quia retractata non est, non tamen durat in ratione actionis humanæ, quod necessarium est ad contractum Sponsalium, sed desinit esse humana actio, quando, qui eam ponit, ut ita loquamur, desijt esse homo, quod in ebrietate contingit. Quod verò sufficiat intentio habitualis ad suscipiendum Baptismum, extremam unctionem &c. id adscribendum est benignitati Christi, qui majorem intentionem exigere noluit ob hominum utilitatem, ne sæpe deberent carere Sacramentis vel necessarijs, vel tummè sibi utilibus; plus tamen exegit Christus in ministris Sacramentorum, ut nempe haberent intentionem saltem virtuales, & in aliquo effectu perdurantem, quia actio Ministri debet esse actio moralis, & fieri humano modo, qualis non est, quæ ponitur in ebrietate.

Ad prius Argumentum respondeo: Omnino sufficere deliberationem eam, quæ sufficit ad peccandum mortaliter: at verò ad peccandum mortaliter requiritur ea deliberatio, vi cujus actio peccaminosa verè dici possit moralis, posita humano modo, ab homine sui compote, libero &c. quod in ebrietate non fit. Ad exemplum adductum de homicidio in ebrietate patrato, respondet Sanchez *cit. disp. 8. n. 20.* mirum non esse, quòd Sponsalia in ebrietate contracta nulla sint, econtra homicidium in ebrietate patratum sit

peccatum lethale, quando tempore, quo homo sui compos erat, prævisum fuit, quia, ut sonat axioma, *bonum ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu*: cum igitur Sponsalia sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem; at verò ad peccatum, cum malum sit, satis est, quòd sit in sua causa volitum; tum præcipuè, quia cum homo teneatur vitare homicidia, & alia peccata, eò ipso, quòd sciat, se in ebrietate ea admittere, tenetur istam vitare: si ergo, cum deberet, & posset ebrietatem fugere, non curet eam vitare, indirectè, & virtualiter censetur velle peccata, quæ in ebrietate eventura esse prævidet; at cum non teneatur vitare Sponsalia, non censetur adesse voluntas virtualis circa illa. Hanc responsionem etiam dat Becanus *10. 1. c. 43. de Sacram. in specie q. 5. n. 5. & alij.* Alij malunt respondere cum Perez *disp. 1. de Matr. Sect. 5. n. 11.* quæ responsio omnino conformis est ad nostra dicta, homicidium patratum in ebrietate non esse verum & formale homicidium, neque esse peccatum formaliter eo modo, quo modo censetur esse peccatum formaliter actus exterior malus, qui manet in nostra potestate, nam actus humanus externus tam diu est capax malitiæ moralis, quàm diu liber est, & humanus, proinde quàm diu est in nostra potestate, & tunc, quando opus est malum, est peccatum formaliter:

maliter : at homicidium , quod in ebrietate patrat , nullam in se libertatem habet , quia , dum fit , non fit humano modo , nec est in nostra potestate , consequenter non est formaliter peccatum , sed sicuti liberum est duntaxat in sua causa , ita est peccatum in causa , consequenter non est peccatum formaliter , sed potius est effectus peccati præteriti.



## QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo in Sponsalibus debeat esse promissio acceptata , & mutua , quæ est tertia conditio.

### CASUS PRIMUS

*Promissionis gratuita , item acceptata in veris Sponsalibus , sed sine repromissione.*

Sarinus , ut gratum se sistat Cæciliæ , quod sibi lethaliter ægrotanti indefesso obsequio servierit , promittit eidem futuras nuptias. Idem præstat Mathildi Basilius , non tamen ex gratitudine , sed animo præcisè Sponsalia celebrandi. Utraque acceptat promissum , dicitque se felicem , si possit habere maritum tam exoptatum , neutra tamen repromittit.

Q. An Sarino , vel Basilio , & quænam obligatio ex hac promissione oriatur ?

SYNOPSIS.